



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

**Hiob**

**Brenz, Johannes**

**Haganoæ**

**VD16 B 3079**

Cap. XLI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36516**

ANNO. IN HIOB

tamen, sed oculis dūtaxat & naribus: nam alioqui  
 luti anguilla lubrica est, & quo plus eam compresseris,  
 eo citius elabatur, nisi eam comprehendas oculis,  
 ac naribus suis, hoc est, astus & consilia Saubane de-  
 prehenda sunt, spiritu fidei, alioqui enim capi nō  
 potest, propterea quod soleat nobis semper, boni spe-  
 cie imponere. Potes & sic intelligere hunc locum, Sa-  
 tan non uincitur, nisi oculis & naribus prehensus,  
 hoc est, suis ipsius armis: unde & Christus non alio  
 pugne genere, eum uicit, quā proprio gladio, scilicet  
 peccato, morte & inferno. Sūt enim persecutio  
 & crux, Satanæ commentum: itaq; Christus adcepta  
 in humeros suos cruce, pugnavit contra eius potesta-  
 tem, & gloriose triumphavit: neq; est alia uictoria ee-  
 lebrior, quā que paratur passione.

CAP. XLII

EXtrahes ne Leuiathan hamo, & fune  
 Ligabis linguam eius?

Nunquid pones circulū in naribus eius?  
 & spina perforabis maxillam eius?

Nunquid multiplicabit ad te preces,  
 aut loquetur ad te mollia?

Nunquid percutiet fœdus tecum, ut  
 adcipias eum in seruum sempiternum.

Nunquid

Nūquid ludes cum eo, quasi cum aue,  
aut ligabis eum puellis tuis?

Concident eum focii, diuident eum  
inter mercatores.

Nunquid implebis sagenas pelle sua,  
& fiscellam piscium capite eius?

(Si) posueris super eum manum tuā,  
memineris belli, ne adicias.

Ecce spes eius frustrabitur, & manifeste  
proicietur.

EXTRAHES NE LEVIATHAN. *Sub Leviathā*

*Vi antea sub Behemoth, Satanæ potētia descripta*  
*est, ita nunc describitur sub Leviathan, quemadmodū*  
*spiritus aliās Esaiæ 27. facit: est autem Leviathan,*  
*draco marinus, unde & Græcus uertit δράκοντα,*  
*qui non capitur hamo, nec fune ligari potest, nec un-*  
*cino apprehendi, nec à furore suo compesci: nam cir-*  
*culum seu uncinum in naribus ponere, est furorem cō-*  
*pescere, & à conatu retrahere. 4. Reg. 19, Ponam cir-*  
*culum in naribus tuis, & chamum in labijs tuis, &*  
*reducam te in uia per quam uenisti &c. Metaphora*  
*ducta à Bubalis, qui circulo naribus iniecto, ducūtur,*  
*tam ut iste marinus Draco, nullis retibus capi, & nul-*  
*lo fune ligari potest, ita nec Satan, ullis humanis uiri-*  
*bus, astutijs, aut consilijs prehenditur, nec cōpescitur*

*Satan descri-*  
*bituri*

A N N O T. I N H I O B.

ne pro libidine sua dominetur, à solo autem Domino nostro Iesu Christo, uinci potest, & per eum ab omnibus credentibus.

**NVNQVID MULTIPPLICABIT AD TE.** Natura sumus filij træ: proinde, Satan non allicit nos in sui potestatem, blanditijs, quando nos captiuos teneat, natiuitate nostra, præterea tanta est eius seuita, ut nõ precibus, sed potenti manu & tyrannide, totum orbem occupet.

**NVNQVID PERCVTIET FOEDVS.** Impij existimant se, cum Satana confœderatos, securi enim uiuunt, perinde ac nullus esset Satan, periculis iniquiunt, fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, uerum enim uero tam immanis, et efferrus tyrãnus est Satan, ut nullo fœdere, nobis conciltentur, nec ullis delinimentis in obsequiũ nostri ducantur, lam, quum uideamus, quanta sit Satanae in nos tyrannide, facile conijcere licet, quàm necessarium nobis sit Christus, per quem uincamus.

**NVNQVID LVDES CVM EO.** Solent parêtes pueris suis aureulas captas, filo alligare, quibus ludant, Satana nõ ita filo alligaueris, ut cum eo ludas, nullis enim uinculis humanis captiuari potest, nec ut auunt, intelligit ludum, et iocum nescit.

**CONCIDENT EVM SOCII.** Tam uastus est hic piscis, ut solus inter socios, et mercator

mercaturam sufficiat: nam quum sint, qui mercaturam exercent, aut panno, aut pipere, aut ferro, possent etiam hoc unico pisce, si in partes diuideretur, complures mercatores, negotiationē exercere, adeo ingens belua est. Habet autem Satan, propè uniuersum orbē in sui negotiationem congregatum, omnes enim homines mendaces, & peccatores sunt. Iam cum Satan sit mendacij pater et peccatorū fons, consecraneū est, homines in rebus Satanae, negotiari. Leuiathan igitur in suas partes diuiso, alius auaritia, alius fastu, alius inuidia, alius luxuria negotiatur, unusquisq; suā partem in hac negociatiōe capit, tantus nanq; est, ut uniuersis sufficiat, nec est ulla sagena, quae pellem eius capiat, nec fiscella, quae caput, nedum reliquum corpus comprehendat, dominatur enim Satan, in uniuerso orbe, non in uno orbis angulo.

## SI POSVERIS SVPER &amp;c.

Id est, si restiteris Satanae, uel tantillum memineris tibi bellandum esse cū ipso, & succumbendū, nisi fide suffultus fueris: mox enim, ut aduersariū sentit, grauius insurgit, & bellū ciet, restiterunt Satanae prophetae, tumultuabat igitur per reges et sacerdotes, donec occiderentur: restitit Sathanae Christus, sed uide, quē tumultū inter Scribas & Phariseos excitari? Restiterunt & Apostoli, sed quid non calamitatum, contra eos machinatus est? hunc Christus ait: in mundo adsti-

Mundus negotiatur Satanae.

A N N O T. I N H I O B

tionem habebitis. Christianus enim, ponit manū suam super caput Leuiathan, id est, adoritur Satanam, resistit potestati eius: proinde, nihil non mali pio, Satan intentat, ut maneat mundi princeps.

MEMINERIS BELLI. id est, tale bellum excitabis, si restiteris Satanae, in quo succumbes, & non uinces, nisi fide.

ECCE SPES EIVS FRVSTRABITVR.

Satan confusus, fugit, quoties astus eius deprehēsos sentit.

Quamquam toto conatu, Satan pijs resistit, non tamen uincet, sed frustrabitur spe sua, & manifestissime confundetur: quamprimū enim reuelatus fuerit, confusus abit, propterea quod nō maneat, nisi aliena larua, & specie boni tectus fuerit. Exempla confusio nis Satanae habes in Ioseph, nam conabatur populū Israel perdere, cuius externa salus, ē Ioseph per oraculum diuinum electo, pendeat: proinde fere, in mortem coniectus est Satanae dolis, liberatus autem, populum suum frumento paut, hoc est, confusus est Satan, in consilijs suis. Agitabat etiam in Pharaone, ut perderet Israëlem, sed rursus confusus est, quāto enim magis opprimebātur, tanto magis crescebat: quid uero non agit in Prophetas, Christum & Apostolos do nec morti traderentur? sed eo ipso, uel maxime omnium, spe sua frustratus est: quid nō & nostra tēpestate in Euāgelio machinatur, nūc diuis Pontificū mādātis, nūc seditiōibus, nūc hāresibus? sed semp cōfusabit.

Non (sic) crudelis (erit) cum fuerit  
excitatus, & quis est iste, qui coram me  
consistet?

Quis præuenit me, & reddam ei? om-  
nia sub cœlo mea sunt.

Non facient, ut obmutescam, mem-  
bra eius, nec uerba potentia, nec (uerba)  
ad deprecationem composita.

Quis reuelabit faciē indumenti eius  
in duplex capistrum eius, quis intrabit?

Ostia faciē eius quis aperiet, circui-  
tus dentium eius, terror.

Corpus (sicut) fortia scuta constrictū,  
obfirmatum anguste,

Alterū alteri adhæret, & spiritus non  
intrat inter ea.

Vnumquodq; in altero hæret, com-  
plexa sunt se, ut non separentur.

Sternutatio eius splendor luminis (est)  
& oculi eius sicut palpebræ auroræ.

De ore eius lampades procedunt, qua-  
si tedæ ignis egrederentur.

De naribus eius egreditur fumus, si-  
cut de chaldari feruente, & aheni.

A N N O T . I N H I O B

Halitus eius carbones adcedit, & flamma de ore eius egreditur.

In collo eius habitat fortitudo, & ante ipsum gaudet dolor.

Discrimina carnis eius adherent (sibi inuicem) angustiant eum, ne commoueat.

NON SIC CRVDELIS ERIT &c.

*Crudelissimus est Satan, si pie et fideliter uiuendo à iustis excitatus fuerit, uide enim, quanta tormenta in Prophetas, & in Christianos martyres excogitauerit, alij distenti sunt, alij ludibrijs & flagris explorati sunt, insuper et uinculis & carcere, lapidati sunt, dissecti sunt, occisione gladij occubuerunt, Esaias, serra sectus dicitur, Amos, palo per tempora transfixo, interemptus est, quibus uero tormentis, & quam crudelibus, martyres sancti occubuerint, lege Euseb. in Ecclesiastica historia, quae omnia crudelitate Satanae excogitata sunt. Sed quid hoc loco Dominus ait? Facile inquit, eum omnipotenti meo uerbo, quantumcumque crudelis sit, comescam, quis enim est, qui posset mihi resistere? quis praue nit me beneficijs, aut meritis, ut reddam ei? Quis prior mihi dedit, ut quicquam ei retribuatur: ego solus omnia possum, omnia in mea potestate sunt, nulli creaturae obnoxius sum, sed omne genu, caelestium, terrestrium, ac infernorum, in nomine meo se flectit, omnia enim*



nia enim sub caelo mea sunt, Psal. 49. Mea sunt omnes ferae sylvarum, iumenta in montibus & boues.

NON FACIENT VT OBMVTE-  
SCAM &c. Membra Satanae, sunt impij, per quos in hoc mundo dominatur, nullus autem impiorum Dominum compefcit, aut ei resistere potest, neq; quisquam eorum a Domino aliquid impetrabit, siue manuam potentia, siue precationibus: nihil eni coram Domino efficiunt, aut uires, aut preces impiorum, conantur multa, sed nihil promouent, & potius opus Dei, suo aduerso conatu uiuant, quam impediunt: opus Dei erat liberatio hominis, uolebat hoc Satan impedire, per impios Phariseos, sed tantum abest, ut impederit, ut magis atq; magis adiuuerit.

QVIS REVELABIT FACIEM IND.

Satan non uult uideri propria specie, sed occultat se sub boni larua: solus autem Dominus huc beluae detrahit. Similiter & spiritualis, qui per spiritum Domini astus Satanae intelligit: ut Apostolus ait 2. Corin. 2. Non ignoramus Satanae cogitationes & alias dicitur: probate spiritus, num ex Deo sint.

IN DVPLEX CAPISTRVM &c.

De Simsone legitur, quod Leonem in frustra dilacerauerit: at nullus est Simson, qui Leuiathan disrumpat, & manum suam inter capistrum & dentes eius immutat: crudelior enim est, quam ut uel leniter

ANNOT. IN HIOB

tractari queat, & fortior, quàm ut manum illa san-  
 si in os eius immiseris, extrahas: tantus namq; terror  
 dentibus eius exercis inest, ut solo aspectu adpropin-  
 quantes reddat stupidos, quæ omnia huc spectant, quæ  
 Satanae terror plusquàm formidabilis sit, adeoq; in-  
 uincibilis: nemo enim hominum, qui cū eo pugna in-  
 illæsus, & inuictus recedit, solus Christus immisit ma-  
 num suam, in dentes eius, & reduxit eam illæsam,  
 nam cum peccata sustinuerit, ac mortem & infernū,  
 quæ sunt Satanae dentes, in humeros suos suscepit,  
 peccata diluit, & per mortem ac infernum in uitā &  
 coelum migravit: proinde quicumq; uolueris cum hac  
 bestia dimicare, uide, ne tuis uiribus confidas, sed pri-  
 usquàm ineas pugnam, sedens prius tecum computa,  
 futuri belli sumptus, an possis cum decem millibus oc-  
 currere ei, qui cum uiginti millibus uenit contra te, ut  
 est Luca 14. Quod si defuerint uires pugnandi, ab eo  
 pete, qui dat omnibus simpliciter sine improperio.

CORPVS SICVT FORTIA SCVTA

Corpus & membra Satanae, sunt impij, quod uer-  
 ro dicantur esse sicut fortia scuta, constricta, & angu-  
 ste quasi sigillo quodā conligata, alterumq; alteri tam  
 arte inherere, ut nec leuis aura seu uentus perflare  
 possit, descriptio est cōditionis impiorū, sunt enim for-  
 tia scuta, id est, in mundo, non tam seculari quod uo-  
 cant, quàm spiritali potestate potentissimi, ualent  
 gladio

Christus non  
 bis uicit Levi-  
 athan.

gladio & hypocrisi, doctrina & tyrannide, auctoritate & imperio. Præterea colligati sunt arctissime, nam fœderibus inter se, Principes & Episcopi, ita sunt coniuncti, ut nullus hominū **NODVM** dissoluere possit. Quanquàm enim alioqui clericis (ut etiam stultis eorum uerbis utar, laici, oppido sint infestissimi, & Pilatus non usq; adeo Scribis & Phariseis faueat, sunt tamen inter sese coniunctissimi & amicissimi quoties contra Christum, Verbū & populū Dei, aliquid audendum fuerit: nam ut Dæmones inter sese, quasi catena colligati sunt: adducit enim Satan secum septem spiritus peiores se: ita impiorum cohors catena est arctissime cōposita: sed rursus solo Domini spiritu dissilit. Vsq; adeo potentes sunt impij, si humanas uires respicias: sin Domini spiritum consyderaueris, nihil eis est impotentius. Vetus tralatio habet, cōpactum squamis se premētibus: per squamas autē arctè compactas, intellige impios, indissolubili humanis uiribus nexu coniunctos.

## STERNVTATIO EIVS. &amp;c.

Omnia in hac bestia terribilia inuenies, efflat ē naribus ignem, ex oculis eius horribilis splendor emicat, de ore egrediuntur lampades, hoc est, terribiles ignis splendores, fumus de naribus, halitus eius tam feruidus est, ut carbones incendat. Præter alia autē terribilia Satane machinamēta in pios, hoc loco pul-

A N N O T . I N H I O B

chre etiã describitur fulmen excõmunicatiõis, quo  
hactenus Antichristus in orbe dominatus est. Quid  
enim aliud est fulmen excomunicationis Papisticae et  
culari, quã igne è naribus spirare? halitu carbones  
incedere: breuiter, omnia terribilia minitari? nam ait,  
quisquis hoc nõ fecerit, nouerit se incur surũ indigna  
tionem omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorũ  
Petri & Pauli &c. An hoc uon est ignem & inferna  
num spirare? Nõ hic loquor de Christiana excõmuni  
catione, quã in ecclesia, quis nõ optaret? ne e uideo  
qua disciplina, cenae dominicae cõmunõne tractare  
queamus, desyderata uera excõmunicationis regula.  
At hoc loco Papistica fulmina intelligas, que plerũq;  
in insontes, perditionis ille filius etaculatur. Huc etiã  
adcedit quod Iohan. Apocal. 13 scribit: datum est, in  
quit, bestiae os, loquens magna, & blasphemias, &  
aperit os suum in conuitia ad Deum &c.

I N C O L L O E I V S H A B I T A T F O R .

Satan est princeps mundi, proinde semper uincit  
fortitudine agendi. Regnum autem Christi, nõ est de  
hoc mundo, non igitur praeualet fortitudine agendi,  
sed patiendi: & Satan uincit, ut ita loquar, actione:  
Christus uero passione: nam cum Satanae tripudium  
sit, perditio, ac calamitas, nihil non agit modo perdat  
& deuaestet: contra, Christi gaudium est, saluare, ut  
igitur saluet, omnia suffert, omnia patitur.

Christus pati  
endo fert pati  
mam.

CAPITIS XLI. 296

DISCRIMINA CARNIS EIVS &c.

Id est, partes & mēbra Sathanae, & tūcissimo & an-  
gustissimo uinculo, sibi inuicē adherent connexa, ut  
ab inuicem separari non queant, nisi spiritu Domini.

Cor eius durum est sicut lapis, durum  
sicut pars inferioris molaris.

Ab eleuatione eius terrentur fortes,  
fūctus turbantur,

Ab attactu gladii non surgit, lanceæ,  
hastæ & thoracis, reputat pro palea fer-  
rum, pro ligno putrido æs.

Non fugabit eum filius sagittarij, ad  
stipulam uertuntur ei lapides fundæ.

Quasi stipula reputantur ab eo iacula,  
& ridet ad trementem clypeum.

Sub eo acutæ testæ, reclinatur (super)  
clauam dentatam (quasi) super lutum.

Facit ebullire sicut ollam, profundum  
mare ponit sicut unguentarium.

Post eū lucet semita, reputat abyssum  
quasi canum.

Non est super terram similis ei, factus  
est ut nullum timeat.

Omne excelsum uidet, ipse est rex su-  
per omnes filios superbiæ.

ANNOT. IN HIOB.

*Filij superbie  
id est superbi  
arrogantes He  
braisimus.*

COR EIVS DURVM EST SICVT  
Satan duricordior est Marpesia caute, & lapide  
molari: quomodo igitur ab homine uinci posset? Dicitur  
autem durus corde, uel propter misericordiam,  
nullus enim misericordiae locus apud Satanam est, uel  
propter fortitudinem & potentiam eius. Graecus pro  
parte lapidis molaris transtulit  $\omega\varsigma\ \pi\epsilon\rho\ \acute{\alpha}\kappa\mu\omega\upsilon\ \acute{\alpha}\nu\eta\ \lambda\alpha\ \tau\omicron\varsigma$ , id est, sicut incus indomabilis.

AB ELEVATIONE EIVS TER=  
RENTVR. Vt in mari Leuiathan, sua tyrannide  
omnibus cetibus quantumcunq; uastus terrorem in=  
cutit, ita in mundo dominatur Satan per impios tanta  
fortitudine, ut etiam potentes eius tyrannidem susti=  
nere nequeant. Pro  $\text{אֲרִיִּם}$  quod significat fortes et  
potentes, uetus et alatio habet, angeli: quae expositio  
huc nihil facit, quando de cetibus marinis sermo sit,  
non de angelis. Graecus sic interpretatur,  $\Phi\omicron\beta\omicron\varsigma\ \theta\upsilon\ \epsilon\iota\omicron\iota\varsigma\ \tau\epsilon\ \xi\acute{\alpha}\ \pi\omicron\sigma\iota\nu\ \iota\omega\delta\iota\ \gamma\eta\varsigma\ \acute{\alpha}\ \chi\omicron\mu\epsilon\ \nu\omicron\iota\omicron\varsigma$ , id est,  
timor bestiis in terra saltantibus: nam  $\text{אֲרִיִּם}$  in=  
terrim arietes aut ceruos significat.

FLUCTVS TURBANTVR &c.  
Vt enim in mari Leuiathan undas commouet, ita  
in mundo Satan omnia turbat.

AB ATTACKV GLADII &c.  
Ephes. 6. dicitur: non est nobis lucta aduersus  
sanguinem & carnem, sed aduersus Principatus, po=  
testates

testates, mundi dominos, rectores tenebrarum seculi  
 huius, & spirituales astutias in coelestibus, quas pro-  
 pter assumenda est armatura nō carnalis, sed spiritua-  
 lis: Satan enim, nec instrumenta eius impij, nō timent  
 lanceam, ferrum, es, gladios, sagittas, lapides bom-  
 bardarum, iacula, clypeos, & thoraces: proinde, si  
 uolueris Satanae potentiam uncerere, alijs armis opus  
 est: nempe patientia, expectatione & fide, ut Apo-  
 stolus ait: State lumbis circumcinctis baltheo, per ue-  
 ritatem, & induti thoracem iustitiae &c.

## SVB EO ACVTAE TESTAE.

Vsq; adeo contemnit acutas gladiatorū acies, et cla-  
 uas dentatas, ut gradiatur super eas, quasi in luto, illae  
 sua: Satan enī nullis carnalibus armis laedi aut cōfodi  
 potest.

## FACIT EBVLLIRE &amp;c.

Profundum est mare, mare autē est mundus: iam  
 ut Draco in mari omnia uertit ac reuertit: ita Satan in  
 mundo procurat, nūc seditiōes, nūc bella, nūc intesti-  
 na odia, nūc alia facinora, quibus nō tam publicā pa-  
 cem, quā conscientiarū tranquillitatē concitat, et nun-  
 quam discedit sine ingenti damno post se relicto: hoc  
 est quod hic dicitur: Post ipsum lucet semita.

## MARE PONIT SICVT VNGVENT.

Hoc est, quemadmodum unguenta inter sese com-  
 miscentur: ita Satan, in mundo omnia sursum ac de-  
 orsum uoluit ac reuoluit.

ANNOT. IN HIOB

REPVTAT ABYSSVM.

Senes & cani homines, per etatem imbecilles, & inualidi sunt, uiribus suis naturalibus destituti, unde sicut Leuiathan, in abyssso maris dominatur, tanquam potens tyrannus, super impotentem & imbellem populum, ita Sathan in uniuersum mundum, procano & sene homine reputat, nam in eo dominatur pro sua libidine, & impotentiores sunt homines, quam ut eire sistere possint, unde sequitur: Non est ei similis super terram, nullum enim timet, sed omnes terrefacit.

OMNE EXCELSVM VIDET Potentissimus est Satan, proinde, pro more potentium, non nisi in excelsis arcibus & montibus habitat, & sola excelsa speculatur, tenet enim in hoc mundo captiuos eos, qui sunt precipui, scilicet potentes, sapientes, & sanctulos. Rursus de Domino scriptum est, Psa. 137. Excelsus Dominus, & humilia respicit in caelo & in terra, respicit enim Dominus, contrita & humiliata corda, cum econtra, Satan infimus sit, & excelsa respiciat, qui ergo seipsum exaltat, humiliabitur.

IPSE EST REX SVPER &c. Pro superbe filius Hebraeus habet  $\Psi\text{H}\Psi\text{H}$  quod quidam exponunt, pro filiis potentibus & fortibus. Grecus βασιλεύς πάντων τῶν ἐν τῷ οὐρανῷ, id est, rex omnium rerum, quae in aquis sunt. Communiter autem tem transfertur, per superbiā, ut sit sensus, iste Draco

co ma



eo marinus, dominatur oibus potentibus in mari, & superbis, ita & Sathan, est rex omnium superborum & arrogantium, qui ob arrogantiam suam, in infimum barathrum detrusus est. Nunc itaque uides Hiob, neminem posse Deo resistere, quando dominetur etiam super Behemoth & Leuiathan, immanissimas, crudelissimas & uastissimas bestias, alioqui, inuincibiles: cohibe igitur tu Hiob, os tuum, & aduersus Dominum, ne mutias quidem, propterea quod & potentissimus et iustissimus sit

## CAP. XLII.

**R**espondens Hiob Domino dixit.  
 Noui quod omnia possis, & non absconditur a te cogitatio.

Quis est iste qui celat consilium imprudenter: propterea loquutus sum & non intellexi, mirabilia super me, quae nescio.

Audi obsecro, & ego loquar, interroga bote, & notifices mihi.

Auditu auris audiui te, & nunc oculus meus uidit te.

Ideo reprobos (me ipsum) & poenitentiam ago in puluere & cinere.

NOVI QVOD OMNIA POSSIS.